

Qui rationem intelligit camerae obscurae, intelligit quoque rationem oculi videntis.

104. Luminosum sphaericum illuminat aliud sphaericum, minus quidem plus dimidia parte, majus verò minus dimidia parte.
105. Microscopium non mutat extensionem, sed extensionis aestimationem.
106. Exceptorium in camerâ obscurâ gibbosum potius quam planum esse debet.
107. Uvae foramen in majore luce minus, in minore majus est.
108. Species visibiles in oculò situm habent inversum, licet virtus viva rem ut erectam agnoscat.
109. Plani Horizontalis remotiora videntur altiora.
110. Visus æquabiliter motus, nec de motu aliunde certus, non sentit se moveri.

XII. Phonicæ.

111. Phonica, seu ut vulgò dicitur Musica, versatur circa sonum tanquam objectum maximè æstimabile.
112. Consistit autem sonus magis in intensione quàm in extensione.
113. Possibile est ita conclave componere, ut si duo fuerint in angulis ipsius oppositis, & alter adeò tacitè loquatur, ut nemo adstantium reliquorum hoc possit audire, alter tamen longè remotus id ipsum possit intelligere.
114. Possibile est ita construere palatium, ut sonus v. g. fistulâ excitatus semper ex uno conclavi propagetur in alterum usque dum redeat, unde prius exivit.
115. Dari potest instrumentum, quo sonum intensiorem percipere possumus, quemadmodum telescopiis & microscopiis majorem objecti extensionem visui distinctius percipiendam obijcimus.
116. Proportio Musica non minus ac Arithmetica, & Geometrica inter æquales quoque terminos versatur.
117. Plures dantur consonantiæ quàm vulgò in Musicis occurrunt.
118. Causa formalis quintæ est ratio duorum ad tria.
119. Musica & Cantoria differunt ut Geometria & Geodesia.
120. Melopoetica est pars scientiæ Musicæ.

XIII. Astro